

[*en marge*] Visitatio plebis Tuani dictae Marianensis dioecesis

Die 10 eiusdem mensis martii illustrissimus ac reverendissimus dominus mane hora 14 accessit ad ecclesiam parochialem Sanctae Mariae in Caelum Assumptae loci dicti Palaschae plebis Tuani, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Ioanne Martino Lorenzi paroco et a populo. Omnia de more persolvit. Tum celebravit missam et praemissa mortuorum absolutione pontificaliter indutus Sacramentum confirmationis fuit impertitus servatis servandis ut alias (etc.), et postmodum visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatum vidit eoque populum benedixit.

Baptisterium etiam et sacra olea munda retenta sunt. Altaria sunt septem. Maius dictae beatae Virgini Mariae dicatum, secundum a cornu evangelii est Animarum Purgantium, tertium Corporis Christi, quartum Spiritus Sancti. Ex alia parte quintum sancti Martini episcopi, sextum sanctissimi Rosarii, septimum beatae Virginis Mariae [73v] de Monte Carmelo. Tam altaria praedicta quam ecclesia ad praesens miserrima sunt, cum modo aedificentur. In hac ecclesia sunt plura legata pia, quae omnia clare et ordinate recensentur in inventario, ad quod (etc.). Solum referam quod dictorum plurium legatorum onera missarum sunt 190 ratione unius librae pro qualibet missa. De his nulla ratio reddi potuit a paroco, cum non consueverit eas adnotare.

Annui redditus parochiales sunt librae 400 circiter. Familiae sunt 101. Sacerdotes 13. Animae 460. Altare privilegiatum altare maius.

[...]

Pro ecclesia parochiali Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptae loci Palasca

Comparetur intra tres menses novum missale, sub poena librarum viginti. De caetero vero cum illustrissimus ac reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit et structurae satis amplae, attamen nondum perfectam, populum hortatus est ad eam quantocius fieri potest explendam.